



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput III. Beneficiis contentiosis saepe simonia se ingerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

tantum administrationem respiciunt, uti officium
economi, Sacristæ, Procuratoris, Advocati Ec-
clesiæ; cum rebus tamen Deo dicatis nexum
habent (*can. Salvator. 1. quæst. 3.*). 2. Bene-
ficium aliquod propria auctoritate, absque Papæ
vel Episcopi interventu permutantes etiam in
favorem tertii. 3. Beneficium cum pensionis
reservatione sine superioris auctoritate resignan-
tes. 4. Examinatores Diocesium pecuniam vel
aliam rem temporalem, utut sponte oblatam,
accipientes. 5. Pecuniam exigentes pro sepul-
tura, ut habetur cap. *Abolendæ. de Sepulturis.*
Verum ubi contraria adest consuetudo legitime
cum Episcopi approbatione præscripta, ut pa-
vimentum sarciatur Ecclesiæ in qua cadaver se-
pelitur, nulla simonia committitur, si permessa
pecuniæ summa exigatur (a).

C A P U T III.

Beneficiis contentiosis sæpe Simonia se ingerit.

Inordinata rem quamdam vel acquirendi vel
retinendi cupido ea sæpe media arripit, quæ
divina aut humana lege improbantur. Id præ-
primis

(a) Addi posset, pecuniam non pro sepultura, vel
terra exigi, sed pro *onere* tum *positivo* quo to-
tius alicujus familiæ cadavera in *certo* humari
aut recondi loco debent; tum *privativo*, quo
corpora quæcumque alia ab isto exclusa loco ma-
nent ita, ut, qui prius communis erat, facta
conventione privatus esse incipiat, quod onus
pretio æstimabile multi censent.

primis contentiosa circa Beneficia contingit, ut Beneficiati, ne speratum, aut possessum Beneficium, amittant, ponenda vel posita impedimenta pecuniis remouent, huncque agendi modum præsentem, in qua versantur, necessitate excusant. Quantum ista excusatio valeat, ex dicendis constabit.

Triplici titulo Beneficium quoddam contentiosum fieri potest. *Primo* improprie, cum nempe duo vel plures pro illius collatione supplicant, spemque obtinendi fere æqualem habent. *Secundo* proprie, cum diversi a diversis sunt præsentati, vel unus electus, alter postulari ad idem Beneficium aut officium, qua præsentatione, electione &c. quilibet *jus ad rem* videlicet Beneficium obtinuisse putatur. *Tertio* cum super Beneficio actu possessio unus alteri licentiam intentat, eumque de sua possessione dejicere nititur; hocque *vexatione* (ut vocant) vel *jussu* possessoris, aut competentis incapacitatem, aut crimen manifestando, vel *injuria*, eundem calumniis infectando.

Qui ad Beneficium *aspirat*, pecuniis offerat, ne alius incapacitatem ipsius Patrono insinuando, vel digniorem ad concursum mittendo se a Beneficii consecutione impediatur, simoniam comittit; quia (uti sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 100. art. 2.* docet) Sic per pecuniam sibi viam pararet ad rem spiritualem obtinendam, quam nondum habet. Idem de illo dicendum, qui æmalum auro placat, ne calumniis aut

injusta vexatione Beneficium speratum sibi eripiat (a).

Qui ad Beneficium præsentatus, aut ad ecclesiasticam dignitatem electus, quosdam contradicentes, ne confirmationem ac institutionem impediunt, muneribus devincit, Simoniacus est. Ita clare Lucius III. cap. *Matthæus. de Simonia.* ubi ad quemdam Istriæ Prælatum ita rescribit: *Cum fuisses ad Ecclesiæ tuæ regimen de voluntate majoris partis fratrum electus, paucis tibi contradicentibus; quidam amicus tuus de*

con-

(a) *Injustam* tamen vexam pecuniis redimere licet, præsertim si injuste vexans nocere solum, non item *prodesse* Candidato potest, puta, si calumniis, Electores, Patronos &c. cuidam male affectos efficere, non autem ipsemet aliquod votum contribuere valet; quia juxta Soto, Sylvium & Lessium apud Billuartum per talem pecuniam nihil spirituale sibi acquireret, neque jus ad illud, sed solummodo *injustam* quam in fama &c. patitur, vexationem redimeret. Sicut enim ille, qui adeptus est Beneficium habet, jus pretio procurandi cessationem a nocumentis *justitiæ* contrariis, ita & qui ad Beneficium *aspirat*, habet jus procurandi cessationem a nocumentis *caritati* contrariis. Quamtuvis vera hæc Theoria sit; periculosa tamen ac delicata ejusdem praxis evadit. Sæpe enim vexationem ceu *injustam* philantia, seu inordinatus sui ipsius amor lamentatur; quam alius æquior judex omnino justam esse agnoscit; nonnumquam etiam tunc, cum injusta vexa pecuniis redimitur, scandalum apud alios nascitur. Sobrius itaque hujusce doctrinæ usus esse debet.

conscientia tua, & voluntate turbata ei, magister discordie videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradictio quievit. Nam autem dubitas, quod non sis a labe simonice profusus immunis, donec in administratione volueris remanere. Quia igitur consilium requisisti, quod tibi sit faciendum: respondemus, quod tibi tantum consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens: Nil prodest homini, si universum mundum lucretur animæ vero suæ detrimentum patiat. Hæc tamen de eo, qui vexationem justam pecunie tollit, hasque iis ipsis qui Capituli membra sunt astute exsolvit, sunt accipienda. Nam quod Clericus, qui legitima electione, aut presentatione verum ad Beneficium jus acquisivit, non justos vexatores muneribus sopire possit, hæc obscure ex capitulo *Dilectus de Simonia* colligitur, clarisque verbis id sanctus Thomas docet, qui loco supra citato ita pergit: *Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

Id magis adhuc verum est, si super Beneficio jamjam possessio injusta alicui lis intentetur, secus vero si ob admissum crimen, cui Beneficii privatio est adnexa, coram iudice convenitur; sic enim non tam vexationem pecunie retribueret, quam spirituale Beneficium temporali pretio sibi vindicaret, aut conservaret, quod simoniacum est.

Sed quid, potestne quis expensas, quas in lite super Beneficio fecit, a resignatario exigere?

Si mala fide litigavit, male quidquam in compensationem resignans exigeret; quia expensæ non alterius, sed sui causa sunt factæ. Si vero bona fide litigavit, eas præcise, quas occasione litis, fecit expensas repetere potest ab eo, cui pacis amore Beneficium resignat; quia bonæ fidei possessorem indemnem servari oportet. Attamen plus, quam revera expendit, exigere non potest; valida quoque renunciandi ratio esse, & ad Beneficium alioquin idoneus esse debet, qui renunciat. Si enim aliquis exempli gratia Parochiam cederet, quam regere non est aptus, quamvis multum in lite expenderit, non potest tamen expensas repetere.

At si quis Beneficium est adeptus, illudque pacifice possidet, illudne renunciare posset, & expensas, in acquisitione factas repetere? Respondeo id non licere, quia in sui, non resignatarii commodum illas fecit; secus simoniæ pateret aditus: ægre enim Beneficiarios reperies, qui nullas in Beneficiorum acquisitione expensas fecerunt: hinc cap. *cum primum. de pactis* Alexander III. ejusmodi conventionem reprobat, inquit: *Nos eam non duximus admittendam, pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactiois speciem continere.* Idem de pensionibus, de quibus privato condicto resignans, & resignatarius paciscerentur, ferendum est iudicium.

Aliud quoque nuper excogitatum est artificium, videlicet cum Beneficium deest cum alio permutandum, Capella ejusdem reditus fundatur a parente pro filio, vel ab alio pro se ipso.

Extra controversiam est, quodsi pater vel alius capellam instituat cum expressa intentione Beneficium aliud obtinendi, hunc simoniam saltem mentalem committere. *Primo* sic ambitionis vel avaritiæ opus agunt, peccantque contra ecclesiasticam vocationem, quæ omnino necessaria est, & quam ipsi sibi creant hac fundatione. *Secundo* magnam Ecclesiæ injuriam inferunt, qui absque vocatione illi tradunt ministrum, quem illa non elegit; & plerumque ineptum. Non me later, Doctores quosdam docere, hunc Beneficium acquirendi modum esse licitum; qui Capellæ fundator novo fundo Ecclesiam dicit. Verum horum sophismata vanæque ratiocinationes nequeunt hoc validum reddere, quod robore caret, priscisque sæculis fuit inauditum. Si vere ex devotione Capellam quis fundavit, eamque aliquamdiu possedit, quin illam cum Beneficio permutare intenderet, non eum damnare, si postea eam cum Beneficio permutaret, sed pura ab initio, & ab omni negotiatione remota intentio fuerit oportet, ut scrupulum omnino excludat.

CAPUT IV.

*Canonice Simoniacorum exponuntur
pœnæ.*

Omnem licet Simoniacam pravitatem Ecclesia detestetur; contra tres tamen præcipuas ejusdem species canonicis pœnis animadvertit, eoquod eas præ cæteris sicut frequentiores, ita & periculosiores agnoscat. Sunt autem illæ